

MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA


Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Melissa multis affert nuntios ...

- | | |
|---|-------|
| ... Systema scholare iterum mutatur | p. 2 |
| ... Seminarium Belgicum fiet in Abbatia Maredsolana | p. 3 |
| ... Nunc Helsinkii fiunt Latinae urbis lustrationes | p. 4 |
| ... Architectura Mahumetana habet originem Byzantinam | p. 6 |
| ... Condicio mulierum adhuc est quaestio provocatoria | p. 8 |
| ... Res possunt esse simul eadem simul aliae | p. 10 |
| ... Vita nostra minus minusque est privata | p. 12 |
| ... Musa canit | p. 13 |
| ... Latine loquendi multae praebentur occasiones | p. 16 |



Hierosolymis: Tholus Saxy ex ingenti area templi Herodiani eminet.

DOCERE NVM ADHVC OPORTEAT

Hisce diebus administra publica¹ Institutionis Superioris in Belgica palam nuntiavit se magistrorum formationem in scholis superioribus mox (iterum!) mutaturam esse. Huius mutationis rationes scitu dignae sunt, quia Belgicae non sunt propriae, sed videntur eaedem esse in toto fere orbe occidentalium.

Duas maioris momenti rationes proponit administrata: primum pueri nostris temporibus iam multa discunt extra scholam; deinde scholae aspectus sociologicus magis magisque est respiciendus. «Magistros ergo formari volo, ait, ut his novis scholae condicionibus aptentur.» Quales sunt, administrare sensu, magistri futura opera?

- 1- sit «actor socialis»; acquirat ergo notitias «socioculturales»;
- 2- agat modo scientifico atque inquirere non desinat;
- 3- sit magister, qui disciplinam imponere valeat;
- 4- habilis sit in necessario commercio cum multis hominibus; sit etiam sui ipsius compos;
- 5- sit paedagogus; sciat ergo methodos quibus res quam optime tradantur;
- 6- calleat modos technicos suae scientiae communicationis.

Praeterea verborum inanitatem animadvertisendum est primum magistri officium iam non esse docere, sed quasi choragum fieri in sua classe.

Praeterea de utilitate materiarum in scholis tradendarum multi magistri iam dubitant. Exemplum afferam. Sub aspectum oculorum meorum cecidit symbola diarii Bruxellensis «Le Soir», c.t. «Nonne grammatica loquelae est inimica?»². Ibi auctrix invehitur in grammaticos, qui negant ullam loqueland, ullam communicationem fieri posse sine optima grammaticae notitia. Ipsa e contrario censem in linguae usu anarchiam magis favere communicationi quam strictam normam. Auctrix mirum in modum addit sibi esse immensum amorem huius linguae (agitur de Francogallica), quam decursu millenniorum finixerunt, non grammatici, sed locutores! (Anarchiae linguisticae addit ignorantiam historiae linguarum!)

Non mirum ergo si hodierni magistri linguae Latinae valde queruntur, quod discipuli qui

Latinitatem primum aggrediuntur nullam verborum analysis notitiam iam habent.

Non desunt homines magnae auctoritatis, vel etiam amplissimi negotiatores, qui compererint quantum minueretur iuvenum in laborando efficacitas propter institutionis ruinam. Sed politici totam institutionem nunc fecerunt suae dictionis atque illi, potiusquam peritorum vocem auscultent, multitudinem suffragatoriam ambire malunt.

De his omnibus non solus sum, qui eiusmodi opinionem habeam. De condicionibus Franco-gallicis iam satis eloquens est titulus symbolae a Iacobina de Romilly et Iohanne Petro Vernant conscriptae: «Nos feffellerunt»³. Praeterea Iohannes Carolus Rossi Mediolanensis haec ad nos nuper scripsit:

«... Scito per Communitatem Europaeam omnibus scholarum discipulis nuper propositum esse ut sententias fingerent, quibus exornaretur Europae signum; collectae sunt quingentae sententiae apud unam quamque nationem, quarum sententiarum denae sunt selectae, conversae in Latinum atque Com-munitatis Magistratibus traditae, qui ex iis optimam quamque eligerent; interpretis munus forte mihi mandatum est a Conrado Augias Italo, viro litterato eodemque quondam legato in Curia Europaea, qui etiam in re televisifica ac diurnaria versatur. Quantum potui, effeci; at ex sententiis prolatis est videre quam misere iaceant studia Europaea: nemo enim nisi vias tritas calcavit, nemo ad usitatissimos locos non venit, nemo se a vulgatissimis rhetorum ampullis abstinuit: omnia inania, vacua, stulta. Quid plura? Nisi cultum communem, qui in antiquitate Latina radices agit, recipaverimus, nulla erit Europaeis patria communis, sed tantum foedus, ut ita dicam, nummarium: quod prius orbis erat, factum est Argentaria....».

Gaius LICOPPE

ADNOTATIONES

- ¹ Françoise Dupuis; cfr Le Soir die 25 m. Martii 2000.
- ² Symbola die 24 Feb. edita, quam conscripsit Viviane Bouhon-Linotte, assistens in sectione paedagogica Scholae Superioris Bruxellensis.
- ³ «Langues anciennes: on nous a trompés», in: Le Monde, 31/03/2000.



DE ABBATIA MAREDSOLANA


SCRIPSIT ROBERTVS DEPREZ

Anno 1872 iuvenis monachus Belga monasterii Beuronensis (in Germania meridionali siti), nomine Hildebrandus de Hemptinne, statuit novum coenobium benedictinum in patria sua condere. Locum aptum invenit *Maredsous* dictum, ad vicum *Denée* in provincia Namurcensi, prope rivum *Molignée* qui in Mosam influit. Auxilio hominum piorum, qui agros pecuniamque ei suppeditaverunt (e quibus praecipue nominanda est familia Desclée), architectum Iohannem Béthune iussit descriptionem futuri monasterii delineare. Iohannes ille Béthune, qui et ipse vir piissimus erat (per 18 enim annos coenobio aedicando gratis laboravit), generi neogothico, quod tunc in Belgica et regionibus adiacentibus magni aestimabatur, favebat.

Anno 1873 opera aedificationis coeperunt, et anno 1876 novem monachi partem novi monasterii iam occupare potuerunt. Primus abbas non fuit Hildebrandus de Hemptinne, sed Placidus Wolter. Anno 1878 abbatia Maredsolana officialiter autonoma facta est, et statim maxima pastorali actuositate nituit. Anno 1881 schola puerorum condita est et anno 1882 monachi missale bilin-gue (Latine/Francogallice) ad usum fidelium ediderunt. Praeterea mos invaluit ut peregrinationes sacrae instituerentur et plures pluresque homines ad ecclesiam abbatialem venirent, intercessionem Sancti Benedicti implorantes.

Anno 1890 Hildebrandus de Hemptinne abbas electus est; idem, una cum sorore sua Agnete, coenobium feminarum loco vicino *Maredret* condidit. Anno 1893, Hildebrandus Abbas Primas ordinis Benedictinorum a Leone XIII creatus est; exinde magnam partem temporis sui Romae in abbatia S. Anselmi degit. Ibi, multa inter alia opera, collegium Graecum rexit et coetum constituit peritorum virorum qui, iussu Pii X, editioni criticae Vulgatae versionis Sacrorum Bibliorum operam dederunt. Abbatiam autem Maredsolanam haud neglexit, quae crescere non desit. Anno 1899 nonnulli monachi Maredsolani in urbem Lovanium [*Leuven*] migraverunt, ubi in Monte Caesaris [*Keizersberg*] novam abbatiam condiderunt. Anno 1903 in abbatia Maredsolana condita est schola artificum.

Inter annos 1909 et 1923 abbas fuit Columba Marmion, origine Hibernus, auctor multorum librorum religiosorum, cuius causa beatificationis examinatur.



Post alterum bellum mundanum monachi Maredsolani studio et diffusioni Sacrorum Bibliorum impensius incumbere cooperunt. Anno 1950 primum edita est eorum versio Francogallica Sacrae Scripturae (*La Bible de Maredsous*). Multis libris, multis lexicis Biblicis edendis operam quoque dederunt. Insuper studia Biblica cum nova disciplina informatica mirifice coniunxerunt, et nunc iuxta abbatiam est Centrum Informaticum Biblicum (Fr. *Centre Informatique et Bible*) ubi media informatica ad Sacram Scripturam diffundendam elaborantur.

Sed monachi non solum cibos spiritales, sed etiam corporales, conficiunt: caseum nempe et cervisiam, quorum varia genera exstant.

Abbatia Maredsolana in amoenissima regione silvarum exstructa est. Secundum rivum *Molignée* via flexuosa descendit ad vallem Mosae, fluminis augusti ac latissimi, tempore aestivo cymbis nartatoribusque aquaticis referti. Quoquo te vertas,

Mosae vallis, altis rupibus circumdata, spectaculum formosissimum praebet. Ad septentrionem versus petere licet Namurcum [Namur], caput provinciae et Valloniae, ad meridiem versus Dinantium [Dinant], oppidum in quo vixit Adolfus Sax (1814-1894), inventor instrumentorum musicorum quorum celeberrimum est illud, quod e nomine eius *saxophonum* appellatum est.

In regione multa sunt alia loca visu digna, e quibus haec pauca citamus:

- castellum familiae de Montpellier d'Annevoie, cuius horti, XVIII s. ornati, mirifici sunt;
- parietinae castelli Montis Aquilae (*Montaigle*), XIII s. exstructi atque XVI s. destructi;
- in vico *Brogne*, abbatia S. Gerardi, quam monachi tempore eversionis Francogallicae reliquerunt; in ecclesia abbatiali Maredsolana, altare cuiusdam cappellae lateralis e lapidibus abbatiae S. Gerardi exstructum est, ut continuatio inter vetus et novum coenobium significaretur. Aedes autem abbatiae S. Gerardi restauratae sunt; ibi nunc seminaria expositionesque fiunt. Hortus quoque mediaevalis

restitutus est, *hortus Caroli Magni* dictus, nam in eo crescent omnes species herbarum medicinalium quae, iussu Caroli Magni, in unoquoque monasterio colenda erant ad aegrotos curandos.



Haec pauca sunt quae de abbatia Maredsolana deque eius regione breviter dicenda erant. Quid, rogabis, tam praestanti loco deesse possit? Fortasse hoc unum: ut monachi linguam Latinam, quam plerique morem hodiernum secuti paulatim neglexerunt, iterum amare discant! Sed hoc impossibile non est: audivi enim seminarium Latinum, moderante quodam monacho benedictino Saravipontano, mense Augusto proximo ibi factum iri¹... ☩

¹ Cfr p. 16.

MIRABILIA LATINA VRBIS HELSINKI

REFERT THOMAS PEKKANEN

Helsinki, urbs princeps Finnorum, anniversarium quadringentesimum quinquagesimum hoc anno celebrat. Itaque Societas Periegetica Helsingiensis (Helsingin Matkailuyhdistys) decrevit, ut historiam et monumenta urbis hospitibus novo acroamatis genere illustraret. Quod appellatur «Helsinki Expert Sightseeing», i.e. lustratio urbis a grapheo periegetico Helsinki Expert praeparata. Hospites per unam horam et dimidium modernissimis laophoris circumvehuntur, systemate auditivo computatorio ita ornatis, ut qua velint lingua explicationes auscultare possint.

Linguae, ex quibus unusquisque sibi idoneam eligere potest, sunt Finnica, Suetica, Anglicia, Germanica, Francogallica, Russica, Italica, Hispanica, Iaponica et, quod maximum est, La-

tina. Vectores enarrationem monumentorum auricularibus adhibitis auscultant et, si volunt, etiam inter circuitum linguam mutare possunt. In praeconio lustrationis, typis impresso, singulae linguae imagine vexilli illustrantur. Lingua Latina pro symbolo vexillum Unionis Europaeae habet, ut intellegas eum esse sermonem patrium omnium Europaeorum.

Lustratio initium habet aut in portu magnarum navium trajectoriarum aut in viridario mediae urbis. Inter sesquihoram praetervehuntur forum senatus et aedificia historica illi circumiacentia, bibliotheca universitatis, complures ecclesiae et lutheranorum et orthodoxorum, archivum publicum, argentaria Finnica, curia nobilium, praetorium, palatium praesidentis, forum



mercatorium, regio diplomatica, regio navalium, multa musea et theatra, parlamentum, viridarium et monumentum Sibelianum, sepulcretum herorum bello caducorum, stadion Olympium, aedes Finlandia, pantopolia urbis principalia et plurima alia visu digna. Singula monumenta breviter describuntur, e.g. statua totius urbis notissima:

«A sinistra videtis statuam virginis, quae fontem salientem ornat. Virgo est symbolum urbis nomine Havis Amanda. Locus dicitur platea florum, quae pars est Fori mercatorii. Havis Amanda, nomine officiali Nympha maris, vigilia Valburgae sive pridie Kalendas Maias lavatione spumea abluitur et candido bireto academico ornatur. Sollempne veris ineuntis et dies festus studentium maxime circa hanc statuam celebratur, quae forsitan inter omnes urbis statuas populo carissima est.»

Circuitus cotidie certis horis instituitur, aestivo tempore singulis diebus sexies vel septies, aliis anni temporibus ter. Est re vera acroama, quod effectibus sonoribus ita vivificatur, ut viator se velut participem rerum historicarum sentiat. Audias crepitum unguilarum et hinnitus equorum, stridores avium aquaticarum, sonitus undarum, explosiones bombarum, musicam organorum aliaque ad singula monumenta et eorum historiam aptata. Si propter frequentiam commeatus aut aliud impedimentum mora fit, dux itineris textum enarrationis additamentis iam praeparatis amplificare potest, ex quibus hospites plura de rebus aut regionibus Finnorum discant, e.g. de Lapponia:

«Si tempus tibi sufficerit, ut etiam Lapponiam, partem Finniae remotissimam cognoscas, ibi mundum sui generis experieris. Aestate sol in Lapponia omnino non occidit, et noctes aestivae miro modo luminosae sunt. Etiam culices et alia volucria minora noctem Lapponiae amant. Ergo oportet ab istis praecaveas. Hieme sol in Lapponia multis mensibus non oritur. Tenebrae autem altis et puris nivibus illuminantur. Multi homines mensibus vernalibus ex meridie in Lapponiam libenter proficiscuntur, ut nartis vagentur aut per declivia decurrant, nam tum candidae nives glaciatae optimum lapsum praebent. Regio Lapponica suo modo est aspectu pulcherrima. Montes, rivuli, lacus et paludes suam speciem Lapponiae conferunt. Sunt, qui in Lapponiam iter suscipiant, ut in puris rivulis hamo piscentur aut a paludibus bacis colligant aut simpliciter circumvagentur. Lappones ipsi, praeter ex translaticio pastu tarandrorum, hodie etiam ex re periegetica victimum quaeritant aut variis servitiis funguntur. Praeter naturam, septentrio certissimam habet attractionem propter pappum natalicium, illum scilicet verum et Finlandensem. Illum in viridario urbis Rovaniemi quovis anni



*Helsinki in platea florum:
statua illius virginis symboli urbis.*

tempore convenire potes! Etiam in urbe Helsinki, scilicet in cauponis, quae alimentis Lapponiae favent, sapores Lapponicos gustare licet, exempli gratia carnem tarandrinam aut alios cibos Lapponicos.»

Textum Latinum praeparavit Tuomo Pekkanen, recitatrix est Virpi Seppälä-Pekkanen. Stilus est simplex, ut quam plurimi, etiam modesta linguae Latinae scientia erudit, intellegant. Sententiae sunt plerumque breves et inania ornamenta rhetorica desunt.

De lustratione, cui nomen Latinum est «Mirabilia urbis», plura comperies, si scripseris ad: Helsinki Expert,
Opaskeskus, Lönnrotinkatu 7 B
00120 Helsinki
telecop.: (0)9-2288 1299
tel.: (0)9-2288 1222
guidebooking@helsinkiexpert.fi
www.helsinkiexpert.fi.

DE MAHVMETANAE ARCHITECTVRAE

ORIGINIBVS


SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

Cum Arabes, antequam, Mahumeti vexillum proferentes, in vicina imperia impetum fecerunt, sub pellibus vivere solerent, nostra interest invenire quando orta sit architectura Mahumetana, a quibus exemplaribus pependerint aedificia iussu califarum in initio eorum imperii exstructa, quomodo Islamismi propugnatores architecturam ad suos ritus suumque ingenium aptaverint.

Quae quo nobis facilius possimus mente fingere, oportet in memoriam paululum revocemus in quali circumstantia historica septimo saeculo appareat Mahumeti recitatio (Coranus), quae conflictum Occidentis et Orientis in multa saecula est renovatura. Consulto non scripsi «conflictum Christianorum et Mahumetanorum», quia hic conflictus alios conflictus sequitur paene sine intermissione iteratos a primo nobis bene noto, cui nomen bella Medica. Horum conflictuum causa non est necessario religiosa. Quaedam repugnantia videtur semper exstisset inter Hellenismum et gentes orientales; conflictuum tamen praetextus recentius fuerunt religiosi, sed hoc iam ante Islamismum. Nam ineunte septimo saeculo Persae, quorum reges Sassanides pro Zoroastrismo militant, iterum impetum faciunt in imperium Byzantium et modo inexspectato succedunt. Anno enim 609, transgressa Asia Minore, Calchedonam obsident ad Bosphori ripam adversus Constantinopolin sitam. Anno 614 Hierosolyma capiunt, quorum patriarcham Zachariam captivum una cum Vera Cruce Ctesiphontem deportant. Anno 619 classis Sassanidarum in conspectum Constantinopolitanorum se committit. Tunc, cum miserabiliter prostratum iaceat imperium Byzantium, miraculum fit. Patriarcha Constantinopolitanus Sergius bellum sanctum praedicat atque imperatori Heraclio Ecclesiae opes praebet ut Hierosolyma Sanctumque Christi Sepulcrum liberet et Veram Crucem recuperet. Atque, re vera, ab anno 622 scaena omnino mutatur. Heraclius Persas iterum iterumque vincit, deinde in eorum fines penetrat, ubi anno 628 Regem Regum fugat eiusque regiam domum in paradiso Dastgard non longe a Ctesiphonte sitam incendit. Profligato Sassa-

nidarum imperio, Heraclius triumphans anno 630 in Hierosolyma liberata intrat atque Veram Crucem recuperatam ipse portat ad summam Calvariam; quare historici eum merito cognominant primum Crucigerorum. Sed quis tunc sibi fingere poterat octo solum annis post hunc triumphum Arabes Mahumetanos Hierosolyma in multa saecula capturos esse?

Post hunc excusum historicum necessario faciendum, ad architecturam revertamur oportet. In Occidente doceri solet Medium Aevum initium cepisse quinto saeculo, cum invasores barbari non solum praestantia aedificia evertunt, sed etiam Romanam structuram administrativam, qua nititur artium cultura, suppressunt.



Hic apparent primus arcus fractus adhuc servatus atque in Byzantina capella Syriæ septentrionalis instructus (a. 564; Kars ibn-Wardan).



Res aliter se habent in Oriente. Ibi enim integrum manet imperium et eius pars Syro-Palaestina certa prosperitate diu fruitur. Inde fit ut architectura Romana, quae usque quartum saeculum in toto imperio est homogenea, a quinto saeculo, dum in Occidente iacet, in Oriente pergit florere et mutari. Apparet arcus fractus, cuius primum exemplum servatum adspici potest in quadam capella anno 564 perfecta, ut patet ex inscriptione. Quae capella sita est in Syria septentrionali, in loco Arabice vocato Kasr ibn-Wardan. Etiam novimus nomen architecti: est Ἰσίδωρος μηχανικός, aularius Byzantinus, qui hanc magnam capellam exstruxit ad castra aptam; notandum est vocem «castrorum» reperiri in parte nominis Arabici «Kasr». Haec capella habet assuetam structuram basilicae Byzantinae: tres sunt capsae, quorum medio superpositus est tholus quattuor arcubus sustentatus; qui arcus sunt paululum fracti. Haec ergo innovatio ortum Islamismi praecedit.


Septimo saeculo califa Omarus (625-644), secundus prophetae Mahumeti successor, Arabum imperium proferre coepit. Syriam invadit atque a. 635 Damascum expugnat. Post Byzantinorum cladem ad flumen Yarmuk allatam (636), Arabes totam Syriam in suam dicionem redigunt et Hierosolyma a. 638 capiunt.

Paucis annis post, casu singulari, Syriae fortuna fit insperato prospera. Nam a. 661, postquam Ali, Mahumeti gener et quartus califa, trucidatus est, Mu'awija, tunc Syriae praefectus, sine electione, i.e. contra traditum Arabum morem, califatu potitur, quem ipse eiusque progenies totum paene saeculum sibi servaturi sunt. Mu'awija califa, primus stirpis Omeyyadum quae vocatur, in Syria residere pergit atque Damascum ut imperii caput eligit, cum huius urbis commoditatibus lauditiisque, quibus frui ei iam licuit, delectari videatur.

Praeterea, cum Arabes imperii administrandi vix essent periti, Mu'awija cancellarium eligit Graecum Christianumque nomine Sergium, qui hoc praestantissimo munere functus est usque circiter annum 700.

Damascus non facta est Omeyyadum imperii caput sine magna ira in Arabia suscitata, cuius urbes Medinam et Meccam, sanctas sed nimis rusticas, sprevisset Mo'awija.

Primi caliae, secundum ipsius Mahumeti sententiam, architecturam vix curaverant. Sed postquam Omeyyades sedem imperii in Syria collocaverunt, apparuit Christianos ibi cultum divinum in splendidis aedificiis celebrare atque meschitarum egestatem irridere. Quam ob rem vix tolerabilem Abd al-Malik, quintus califa stirpis Omeyyadum (685-705), aliquid exstruere statuit, quod nova religione esset dignum. Sed ubi? Ara-



Hic monstratur ichnographia centrata Tholi Saxi.

bes enim, qui Medinam et Meccam habitabant, stirpi Omeyyadum ita irascebantur, ut ipsum califam eiusque subditos vetarent suas urbes intrare et Meccanam Kaabam, quam Mahumetus umbilicum mundi declaraverat, adire. Res peiores etiam fuerunt cum Yazid a. 680 secundus Omeyyadum califa factus est. Insimulabatur enim filium prophetae generi Ali interfici iussisse. Quae cum ita essent, prophetae consobrinus Ibn al-Zubair se ipsum Meccae proclamavit califam. Quae rebellio decennium perducta non sine vi exitum habuit. Anno 693 Omeyyadum exercitus Medinam et Meccam expugnavit, sacrosanctam Kaabam incendit atque anticalifae Ibn al-Zubair mortem intulit.

Sed cum Abd al-Malik a. 685 califa factus est, Omeyyadum quintus, rebellio Meccana nondum extincta eum impeditiebat ne ad Kaabam accederet. Ibi ergo nihil exstruere poterat. Cum alias praestans locus esset inveniendus, recordatus est Mahumetum in initio praedicationis sua preces direxisse ad Hierosolyma, ubi dicebat esse loca Islamismo sancta. Insuper quinquaginta annis ante, califa Omarus, Hierosolymis captis, in area templi Herodiani tunc derelicta monumentisque nudata, statim instituerat meschitam subdivalem. Cum Mahumetus asseverasset veram fidem esse fidem Abrahae, califa Abd al-Malik putavit montem Moriam dignum esse, qui splendido aedificio primus ornaretur. Iudei enim ei nomen Moriae dederant in memoriam Abrahae sacrificii; in eius saxeо fastigio, quod in area templi Herodiani paululum eminebat, Altar Holocaustorum posuerant tempore quo templum exstebat. Huic accedebat quod secundum traditionem Mahumetus iter mente fecerat usque summum montem Moriam atque inde in equo Burak sedens

in caelum ascenderat, ubi angelis archangelisque circumdatus Deum (Arabice: Allah) contemplari ei contigerat.

Praeterea, cum quicumque principes studere solerent quaestui faciendo, califa putavit Hierosolyma, quae religionis Iudaicae et Christianae iam erant locus sacer, maiorem etiam peregrinorum multitudinem attractura esse et inde maiorem quaestum sibi praebitura esse, si tertiae religioni eidemque Islamicae etiam sacraretur. Quibus cogitatis califa Abd al-Malik ab anno 687 templi aream (Arabice: H'aram al-charif) aedificio magnifico ornare coepit.

Aedificium, Tholus Saxy recte vocatum (Arabice: Qubbat el-Sakhra), sed a nonnullis adhuc meschita Omari falso appellatum, ab anno 687 in annum 692 exstructum est ab architecto et operariis Syriis modo exstruendi Byzantino imbutis. Nomen

architecti non est notum, sed manifesto fuit eximio ingenio praeditus. Ingentibus califae opibus fruens, Byzantinam artem architectonicam ad fastigium duxit.

Tholus Saxy habet ichnographiam centratam in modum multorum anteriorum aedificiorum Byzantinorum, e quibus nonnulla maioris praestantiae sunt citanda:

- aedificium rotundum Sancti Sepulchri Hierosolymis a. 327 perfectum; sed eius tholus a Persis ineunte VII saec. incensus paulo post reaeditatus est;
- ecclesia Ascensionis Hierosolymis (a. 378);
- aedificium rotundum Sancti Simeonis (exeunte V saec.) in Syria septentrionali;
- ecclesia cathedralis Bostrensis (a. 515);
- ecclesia Sancti Vitalis Ravennae (a. 540).

(continuabitur)

COGITATIONES DE CONDICIONE MULIERVM

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

Die octavo mensis Martii celebratus est «internationalis dies mulierum», quo ubique terrarum consideraretur mulierum condicio, progressus, difficultates. Hac occasione data dictae sunt et scriptae sunt multae res, e quibus orerentur affectus diversi. Nam apud nos hoc thema inflatius extollitur, cum alibi condicio mulierum ita se habet, ut ipsarum vita pro nihilo saepe habeatur.


Nuper in nostris regionibus - in Belgica quidem et in Francogallia - imposita est haec nova regula, quae pertinet ad comitia: nunc in indice candidatorum proponi debent tot nomina mulierum, quot virorum. Quae novitas pulchre vocatur «paritas comitalis». Haec est pulchra feministiarum Victoria! Potius dicamus regulam, quae sexum respicit, non valorem, esse meram stultitiam. Quid fiet si, ut exspectandum est, non satis multae candidatae inventae erunt? Tum quaelibet adscribetur, dum sit femina. Feministiae sic effectum habebunt, quem procul dubio non desiderant; plures erunt, non videbuntur aptiores.

Dum huiusmodi nugae apud nos tractantur, aliis in terris mulieres adhuc nihil valent, mulieres non dignae putantur quae mittantur in scholam, mulieres cruciantur propter dotem solvendam. His de causis, ut in actis diurnis nuper legi¹, non desunt in India pauperes parentes, qui praenatalem echographiam subeunt foetus investigaturi non valetudinem, sed sexum - tam magna est tentatio puellulae ante partum removendae... Ex hoc echographiae exemplo colligere possumus illos homines adiuvandos esse, non solum technicis modis, sed mentium imprimis mutatione. Non dubium est quin veteres traditiones et cultus civilis sit respiciendus; sed procul dubio ita potest observari, ut homines - inter quos etiam mulieres numerantur, ita est, domini, nolite subridere - vitam vivant satis decentem.

Cum haec et alia in actis diurnis nuper referrentur, nonnullas cogitationes vobiscum, lectores, communicare volui de mulieribus, de earum condicione, de earum difficultatibus et necessitatibus, de historia motus feministici. Itaque nonnulla legi. Fateor me non percurrisse



Haec statua «Veneris» symbolum fertilitatis (± 20.000 a.C.n.) inventa est in Sibiria.



bibliothecas universitarias, nam mihi in animo non est thesin doctoralem de hoc argumento conscribere. Ea tamen pauca, quae mihi sub oculis fuerunt, iam satis superque ostenderunt hoc thema plerumque esse sive nimis obscure sive nimis ardenter tractatum.

In Encyclopaedia Universalis², exempli gratia, multae paginae dedicatae sunt mulieribus - ipsi remoto ioco dicunt hoc esse novum, quod de feminis tractatur in encyclopaedia, hoc esse signum temporum, neminem antea cogitavisse de tali materia proponenda - ergo multae paginae, quas his tribus verbis comprehendere possumus: femina est mysterium. Simonis de Beauvoir diu cogitare debuit antequam invenit feminam esse «aliam ac virum» (sic). Etiam Kantius, alioquin tam rationabilis, dicitur nihil intellexisse de mulieribus. Item Baldelarius, qui tamen hoc mysterio non est nimis perturbatus:

Sicut beneficum Lethe,
Hauriam oscula de te,
Quae imbuta es magnete³.

Librum etiam emi in notissima serie «Que sais-je?» editum⁴, e quo sperabam bonum totius rei conspectum iri praebitum. Inde autem nova miratio. Iam a primis lineis statim intellegitur auctricem esse feministriam persuasionis plenam, ne dicam vere rabiosam. Primo impetu (id est in prooemio) impugnat sexismum, phallogratiam, androcratiam (nescio num intersit quaedam differentia), sistema patriarchale, sociologicum, ideologicum, culturale, ethicum, oeconomicum, politicum, scientificum... et cetera. Et historicos! Diffidendum est historicis, nam omnes sunt masculinistae. Quod eis, qui dubitare audeant, auctrix exemplis demonstrat persuasibilibus, e quibus hanc vobis excerpti margaritam: nonnulli historici non innocenter affirmant Sabinas illo

tempore libentes esse raptas, quae asseveratio congruit cum hodiernis fabulis de vi a feminis cum voluptate lata...

Ergo auctrix, ut opus conficeret et historicum et scientificum et... aequabile, fontes statuit seligere. Imprimis solas voluit ethnologas et historicas adhibere, sed, cum non satis multae essent, etiam confugiendum fuit ad viros, potius ad Anglosaxones quam ad ceteros manifesto magis phallogratis. Insuper eadem valde dolet quod illae paucae ethnologae, quae exstant, professorum institutionem phallograticam sunt perpessae; nam isti ethnologi semper loquuntur de «Homine (fabro, sapienti...)»⁵, numquam de «Muliere (fabra, sapienti...)». Res prorsus inaudita: ecce feministria, quae non putat mulierem esse hominem! Dicamus istam auctricem praeter alia vitia linguam Latinam non satis bene callere.

His expertis videatis quam sim decepta. Volui aliquid addiscere, nihil inveni nisi ineptias et incensa studia. Proxima occasione data documenta fidiora quaeram, quae vobis de hoc argumento impertire possim. Si exstant. ☺



Apud Cretenses libentius ostendebatur elegantia. Illae tres mulieres colloquia habent inter quaedam sollemnia.

ADNOTATIONES

- ¹ Le Soir, 08/03/2000, p. 8.
- ² Encyclopaedia Universalis, Parisiis 1980, VI pp. 973-1010.
- ³ Carolus Baudelaire, Francisca meae laudes, v. 7-9.
- ⁴ A. Michel, Le féminisme, Que sais-je?, Parisiis, Presses universitaires de France, 1992.
- ⁵ Latine in textu.

ARGVMENTVM PHILOSOPHICVM

A SAMIO JANSSON PROPOSITVM

PROOEMIVM

Breviter de quodam problemate philosophico narro, quod in cogitationibus iam diutius adhuc voluto. Moneo lectorem me in sequentibus terminologiam scholasticam partim adhibitum esse. Fieri potest, ut nonnulli hoc valde alienum Latinitati classicae sentiant si non prorsus barbarum sonare. Infeliciter quidem ad quasdam notiones tractandas nobis classica verba desunt.

DE NAVE THESEI ET RERVM IDENTITATE

Philosophi de nave herois Thesei his fere verbis narrant. Imaginemur nos habere navem veterem, cuius e.g. fenestra vitrea fracta est et huic novam substituere volumus. Novo vitro supposito navis nostra iterum integra erit. Sed postea etiam fieri potest, ut altera fenestra frangatur et refici debeat. Deinde etiam turrim emendare forsitan opus sit et novis partibus restaurare. Cum hac ratione tandem omnes veteres partes amoverimus, eadem navis novis partibus omnino renovata erit. Eademne? Atqui cum nulla pars vetus supersit, nonne potius dicendum navem esse novam, quamvis haec, quam oculis ipsis inspicimus, veteris navis locum occupavisse huicque perfecte similis esse videatur? Porro nos etiam omnes veteres partes, nisi has abiecimus, recomponere posse certum est. Itaque fieri potest, ut iuxta hanc, quae ex novis partibus constat, alteram navem ex veteribus restauremus. Quo facto nobis hoc problema se praebet: utra ex his navibus pristina est? Notandum autem neutram quidem esse omnino eandem, quam habuimus, priusquam veterem navem mutare incepimus. Nova ex novis partibus constat, vetus ex veteribus, quae, priusquam omnes tandem omnino commutatae sunt, interim partes huic aliae navi fuerunt. Res materiales ex partibus constare, quae semper ulterius deminui et recomponi possunt, credendum est, et per tempus gradatim mutari vel saltem deteri. Itaque navem, de qua locuti sumus, nullam identitatem realem habere concludi licet, necne? Id est, eadem navis haud semper eadem navis manet – eam enim identitate per tempus carere dicunt philosophi. Quod veterem navem ex veteribus partibus reconstruere valemus simul ac

nova ex novis composita exsistit, contra sanum sensum repugnat duas inter se distinctas ut unam et eandem numerare. Cum dicimus «haec navis», «eadem navis» et similia, hoc tantum facimus, quo facilius de hac nave sicut de aliis rebus materialibus loquamur, quamvis pateat naves deteri, tempestates mutari, homines senescere, herbas et animalia etc. generari et corrumpi simili ratione.

Quid ad nos ipsos? Nos ut semper, postquam nati sumus, eosdem homines, personas integras, usque ad mortem manere hominibus vulgo persuasum est. Tractemus tamen imprimis corpus nostrum. Corpus inter res materiales numerari negandum non est ac tales nullam identitatem realem habere iam supra demonstravimus. Itaque, si nihil sumus nisi corpora, per tempus mutamur eodem modo ac navis nostra. Hoc in loco Dominus Renatus Descartes forsitan irritatus intercederet et assereret dicendum non esse *nos corpora esse* sed potius *nos corpora habere*. Corpus esse extensum, mentem autem non. «Hic invenio» inquit, «cogitatio est: haec sola a me divelli nequit. Ego sum, ego existo, certum est.» Nos haud extensas, sed cogitantes res esse – licet extensum corpus habitantes. Esse enim et extensas et cogitantes substantias, quae toto genere inter se differunt et realiter distinguntur.

De corpore facilime quidem loqui possumus: extensum est, alicuius ponderis est, coloratum est, in loco quodam situm est. Atqui quidnam de re cogitanti dicere valemus praeter quod sit cogitans? Cogitat, sentit, dolore afficitur, sed haec omnia – nonne etiam a corpore peragi possint? Quid repugnet si asseramus nos re ipsa esse corpora cogitantia? Hac ratione notionem rei cogitantis nullo modo refutamus, sed tantum dicimus eandem simul et extensam et cogitantem esse. Quamvis haud omnes res extensae cogitent, omnes tamen cogitantes etiam extensas esse affirmari licet. Nos enim omnes quotidie cum corporibus cogitantibus agere, neminem autem ullius argumenti firmitate demonstrare posse se unquam cum aliqua re cogitanti egisse, quae corpore omnino privata esset, mea quidem sententia est. Itaque, res extensae sive materiales, quae per tempus mutantur, sumus et porro cogitantes.

Praecipue cogitamus nos ipsos per vitam easdem personas manere, sed quis neget nos olim, cum liberi vel potius infantes eramus, valde aliter cogitasse quam hodie? Cogitationes advenire et evanescere quicumque statim animadvertisit, nos tamen ipsos quasi substrata ingenia eis esse homines vulgo opinantur. Sed qualia ingenia? Forsitan dicere audeamus nos esse corpora ingeniosa, loquentia, cogitantia, quae sese ipsa quotidie per verba «ego ipse» appellant? Haec si recipimus, nonne *mens* et *animus* supervacua duntaxat nomina videntur? Latine et Finnice dicimus e.g. «in mentem mihi venit» vel «animum adverto» et similia – melius nonne sonat «in caput mihi venit» vel «cerebrum et sensus adverto» etc. dicere? Tales locutiones scientiam recentissimam observare videntur, neque opus est redundantia verba in sermonem quotidianum introducere. Homines autem libenter veteres locutiones colere pergunt licet novas ideas et novos conceptus iam antea sibi permiserint. Philosophi saepe hac in re ab ordinariis civibus differunt. Quondam cum

magistro meo de liberis locutus sum et eum rogavi, num sibi novas progenies cum uxore sua parare constituisset. Magister paulisper in silentio imaginatus se diutius iam suas impressiones perquisivisse neque tale sensus consultum unquam inter eas apparuisse ex quo nullas esse exspectandas concludi posse dixit.

BIBLIOGRAPHIA

- Chisholm, Roderick M.: Person and Object; George Allen & Unwin Ltd., London 1976.
- Dennett, Daniel C.: Kinds of Minds; Orion Publishing Group Ltd., 1996.
- Descartes, René: (1641) Meditationes de prima philosophia, tom. VII in Adam, Charles & Paul Tannery (1896): Œuvres de Descartes I-XI; Librairie Philosophique J. VRIN, 1996.
- Morick, Harold (ed.): Introduction to the Philosophy of Mind, Readings from Descartes to Strawson; Scott, Foresman and Company, 1970.

Non omnia intellexistis? Propter difficultatem non iam attendere valetis? Nolite angi. Pergite Melissam vestram tranquille legere, atque postea de hac philosophica quaestione iterum cogitabitis. Tum lucescit. Etenim, teste Wolfio Leibnitizii discipulo, «gradus attentionis exercitatione comparantur»:

Gradus attentionis exercitatione comparantur. Infantes recens nati ad nihil prorsus attenti sunt; sed successive illorum ad obiecta nonnulla excitanda attentio est, atque ita demum ad aliqua attendere assuescunt. Etsi autem successu temporis ad obiecta nonnulla attendere discant, levis tamen tantummodo eorum attentio est, nec proiectiore aetate ad eximum quendam gradum promovetur, nisi actus ad eum spectantes saepius iterentur, adeoque exercitia praecedant. Sane Monmortius, Clavius et Wallisius¹, Iulius Caesar aliisque non pervenere ad eos attentionis gradus, nisi attentione saepius exercita in diversis istis circumstantiis, quas paulo ante adnotavimus². Insigne attentionis exemplum praebet Archimedes, qui meditationibus geometricis intentus, cum urbe ab hoste capta miles in conclave ingressus ad eum accederet gladio virum divinum perfossurus, eum non agnovit, sed famulum suum esse ratus in haec verba erupit: noli turbare circulos. Constat autem ex scriptis Archimedis, quod meditationibus profundissimis fuerit assuetus, et ex historia, quam Vitruvius lib. 9 c. 3 de invento eiusdem portionem argenti auro mixtam in integro opere deprehendendi ac discernendi narrat, colligitur quod habuerit animum ad praesentia quaevis attentum, etsi alias meditationibus suis constanter inhaereret. Etenim ab Hierone rege iussus portionem argenti aureae coronae a fabro mixtam in integra discernendi modum excogitare, cum casu in balneum veniret ibique in solium descenderet, animadvertisit, quantum corporis sui in eo insideret, tantum aquae extra solium effluere, atque adeo non ita inhaesit sua meditationi, qua tunc animus eius distinebatur, quin simul attenderet ad praesentia et pro acumine suo attentionem ad abstracta in concretis contenta promoveret. Solum igitur Archimedis exemplum probat, quam necessaria sit ad attentionis eximum gradum sibi comparandum exercitatio.

C. Wolff, *Psychologia empirica methodo scientifica pertractata*, Francofurti et Lipsiae a. 1732, p. 177.

¹ mathematici.

² ibid. p. 174: Exemplo hic nobis est Iulius Caesar, quem eodem tempore, quo ipse epistolam scripsit, quattuor quoque aliis epistolas dictare potuisse constat, immo, qui septem epistolas diversas eodem tempore dictare potuit, si ipsem nullam scribebat.

QVIS EST «MAIOR FRATER»?

SIMPPLICISSIME SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT


Georgius Orwell obiit ante quinquaginta annos. Qui scriptor omnibus notus est propter fabulam romanciam «1984» inscriptam. Quis enim non novit «Big Brother», «Maiorem Fratrem» qui in hac fabula omnia speculator, omnia observat, omnia auscultat et omnia scit de te, de tua vita cottidiana, de tuis consuetudinibus et cogitationibus? Auctor, qui totalitarismum vehementer praetimuit, aequalibus suis denuntiare voluit periculum humanae societatis, quae esset sine historia et sine libertate, imprimis sine libertate cogitandi. Talis dictatureae preeconium est hoc: «Bellum est pax - Libertas est servitus - Ignorantia est vis».

Annus autem 1984 iam diu transactus est atque usque adhuc nihil huiusmodi nobis accidit. Omnes relevati putavimus has fuisse exaggeratas vaticinationes. At tamen...

At tamen Georgius Kellens Leodiensis professor criminologiae in diario «Le Soir» (2 Feb. 2000) ostendit res ita se habere.

Sumamus exemplum. Intras in pharmacopolum et medicamen emis. Nihil simplicius. Pharmacopolea tranquille tradis chartulam tuam securitatis socialis, quae dicitur. In hoc gestu automatico latet muscipula, atque tu pedem inscius iam imposuisti. Nunc in Ministerio Securitatis Socialis de te multa sciunt: quis sit tuus pharmacopola, qui medicus quod medicamen tibi praescripserit, quo morbo labores, quantae sint tuae divitiae. Ad eandem muscipulam pertinent chartae creditoriae et interrete, quo omnia quae electronice sive scribere sive legere soles possunt inspici.

Oculus autem Maioris Fratris non semper nocet civibus, e contrario eis nonnumquam prodest. Bruxellis in quadam regione parum secura custodes publici nuper posuerunt quinquaginta visocameras, quibus diu noctuque omnia inspiciunt quae in via aguntur. Sic possunt sive hominem sive autocinetum suspectum statim cognoscere. Tali telecustodia civium securitatem firmare volunt. Certe possunt etiam in domos inspicere, sed hoc non faciunt. Dicunt se deontologiam habere, se vitam privatam respicere. Bonos effectus iam animadverterunt, etiam



animadverterunt perversos effectus: nam venditores stupefactivarum substantiarum non sunt tam stulti atque in aliam urbis regionem migraverunt!

Itaque Georgius Orwell recte dixit: «Maior Frater» nos observat!


Sed quis est Maior Frater? Omnes, quorum vita tua privata variis de causis interest: administratio, fiscus, societas commerciales, custodia publica. Maior Frater etiam est inter nos. Age! Confitere. Nonne tu quoque nonnumquam es Maior Frater? Nonne tibi placet oculos interdum conicere in vitam ceterorum?

Societas televisifica non fortuito proponere solent emissiones. Id proponunt, quod spectatoribus placet. Nonnulla exempla nuper innotuerunt, inter quae celeberrima emissio Nederlandica cui titulus est... «Maior Frater». Hic est ludus vere immundus. Nonnulli candidati includuntur in domum, in qua debent complures septimanas una vivere sub oculis spectatorum. Omnia, id est omnino omnia quae faciunt, observari possunt. Ipsi spectatores statuunt de candidatis eiendi. Superstes praemium consequitur.

Talis exercitatio sub aspectu psychologico est valde difficilis. In Suetia post emissionem similem, cui titulus fuit «Operatio Robinsoniana», unus e candidatis nimium perturbatus sibi mortem conscivit. Sed successus est ingens. Itaque multae aliae societas televisifica volunt eandem rem proponere. Tanta est nobis cupidus spectandi quae ad nos non pertinent. Omnes sumus Maiores Fratres... ☺

LATINE CANIT

ANNA ELISSA RADKE



Ad Ingam Pessarra sexagenariam

Tarda et morata longius advenit
ad gratulandum nostra sodalitas:
festum diem tuum canamus:
innumeri tibi dentur anni!

Linguae Latinae nulla peritior
inter sodales, Inga, potens loqui
vernaculam ut linguam et Latinam,
nostra magistra, LVPAe patrona.

Ad Patrem Caelestem morbo diabetae laborantem

Mellitum¹ o diabetam amarum et aegrum!
Caelesti famulo pioque parce!
O morbum maledictum, in Orcum abito!
Cur imponis onus, Deus, molestum
servo perpetuo tibi obsequenti?
(quod, scio, mihi non licet rogare.)
Festina tamen adiuvare, sola
spes, eius miserere, sis benignus,
praebe illi patientiam in cubando!

Ad Franciscam

Gemmis mirificis ornavit Gaius amorem,
omnia quae magno munera sunt pretio.
O te felicem Franciscam! Qualis amicus
sit tibi thesaurus, proditor anulus est².
Pauper amorque mihi est: mihi nil nisi gramina donat
flores siccatos: corde sed hi veniunt!

ADNOTATIONES

¹ cfr Catull. c. 48,1: mellitos oculos tuos, Iuventi,

² in his verbis (proditor anulus) est allusio ad carmen Horatianum (c. 1,9,21-24), quamquam verba ibi (apud Horatium) aliter coniuncta sunt, et pro «anulus» ibi «angulo» positum est, tamen inest allusio, ut mihi videtur.

DE MICHAELE ANTONIO CARO POETA COLVMBIANO

REFERT PAVLVS KANSIGER

Latinitatem vivam permanere et in Europa et in America meridionali multis modis probatur. Inter vates, qui linguam Latinam saeculo XIX coluerunt, princeps exstat Michael Antonius Carus, Bogotae in urbe Columbiana natus anno 1843, ibidem vita defunctus anno 1909. Fuit grammaticus et poeta, vir eruditissimus et in litteris et in rebus politicis; qui anno 1894 Rei Publicae Praeses creatus est. Novae constitutioni politicae suae patriae consilio et sapientia favit. Latinitatem ita adamavit, ut carmina Latina multa nobis relinqueret, necnon versiones Hispanicas e Vergilio et Horatio, quos quasi religiose coluit. Carmina eius tractant de familia, de patria, de religione (id est, catholica) deque natura¹.

Gratissimi ei versus Latini videbantur; ex hoc brevi carmine id comperi potest:

Hispanos versus dum tento fingere, ludor;
E calamo tantum verba Latina fluunt.
Gratia Dis! quoniam sic non intelligor² ulli:
Siquis erit, saltem me placido ore leget.

Sed etiam facete plus semel scripsit, ut in hoc disticho de Hippocrate:

Cur fugit Hippocrates aliasque emigrat in oras?
In medicorum atras ne cadat ipse manus.

Alia carmina sunt haec:

Flores duo

Qui fuerat laetis flos formosissimus hortis,
Hunc avida excerpti, ductus amore, manu.
Tunc mihi Nympha suo sumens de pectore florem,
«Hunc fer», ait; «quamvis pallidus, hic melior».
Quem nitidum elegi, perit flos ille caducus;
Alter perpetuo dives odore manet.

Pater paene caecus puero comitanti

Parve, veni, fili; te, dum fas cernere, cernam.
Quidquid corporeum est, flores et sidera mundi,
Ante oculos aegros nebula velantur opaca,
Et mihi se plena demum caligine mergent.
Damnato morti similem me credite, quippe
Praeteritiae secum recolit qui gaudia vitae,
Dum fugit hora brevis, nocti iam proximus atrae.
Hei mihi! siquid adhuc mea languida lumina possunt,
Nil aliud cupio quam te, mea cura, videre,
Utque animo vultus, timidi figantur ocelli,
et, quae dulce satis non est vidisse, labella.
Me tua dein, longam sub noctem errare coactum,
Horrendum per iter ridens comitetur imago!

Estote prudentes

«Estote cauti more vos serpentium,
Et ut columbae simplices», dixit Deus;
Mutilans diabolus optimam sententiam
Simpliciter esse nos columbas expetit.

¶

ADNOTATIONES

- ¹ Carmina excerpta sunt e volumine «Poesias Letinas» de Miguel Antonio Caro, edición dirigida por José Manuel Rivas Sacconi, Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo, VI, Bogotá, 1951 (quod ad CLXX poemata continet in tres libros divisa).
- ² Nunc «intellegor» plerumque scribitur.

SCRIPTA MANENT... VT LEGANTVR !

... Atque ad hunc Melissae fasciculum concludendum unam paginam vobis proponimus anno 1721 editam, quae nobis mirum in modum videtur moderna.

De non inutili hoc, quale mihi saltem videtur, argumento libello subiicere tum stat Q. Marii Corradi, Vritani, Epistolas: quibus ei casu accidit apud multos, ut contra falsas opiniones indoctorum hominum Latini sermonis causam tueretur. Sermonis huius studium, quod temere quidam iam tum, et inductione tantum animi, ac libidine, supervacaneum esse cavillati sint, summa ratione apud omnes sanctissimum esse debere, et a rebus publicis, et iis, qui in regna aut in populos habeant imperium, et a cunctis mortalibus ad maxima, minima, omnia adhiberi, tam solidis et ad probandum firmis adeo argumentis demonstratum ivit Corradus, ut gravius nihil de argumento hoc legere me umquam meminerim. Planissime in primis atque dilucide maxime probavit is vehementer illos errare, qui religionem, qui iura, qui disciplinas, putent non universis cum gentibus communicandas esse, vel inter diversarum regionum atque terrarum homines posse consistere existiment, nisi una lingua traditas, quae omnium communis habeatur; multo vero magis illos insanire declaravit, qui suam aut aliam de novis Europae linguis tanto huic muneri, vel ad minimam illius partem, satis esse arbitrentur. Latinitatem quidem iam tum non neglectam solum ab Italis esse ostendit, sed a fanaticis quoque hominibus exagitatam, iis praesertim, qui dixerint mirabilem se iam tum voluptatem capere, quod certissima spe sibi esse viderentur, fore, ut posterum in tempus, Italia novae linguae scriptoribus referta, nemini amplius sit, cur in Latina et Graeca lingua sibi putet esse laborandum. Sed imprudentiam eiusmodi, seu perversitatem, apud stultos tantummodo ac faecem hominum Latinitati obfuisse tum, confirmat; quales molles effeminatique homines si ad Latinae linguae causam et robustiorem illam antiquitatis rationem adiungerentur, magnam Latinitati maculam ac dedecus inustum iri iudicavit Corradus.

*Iac. Burckhard, De linguae Latinae in Germania fatis,
Wolfenbuttel a. 1721, pp. 600-602*



Latine loqui ...

Seminaria Societatis Latinae

ab anno 1973 eximie instituta a D.re P.C. Eichenseer, qui participes scienter inducere solet, ut Latine loquantur. D.rix Sigrides Albert tirones delectabiliter solet docere et textus Latinos (plerumque humanisticos et posthumanisticos) palam proponere.

- Morsaci in Helvetia **23-29 m. Iul. 2000**, in loco saluberrimo supra lacum «Quattuor pagorum» sito. *Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken*

- in Belgica **5-12 Aug. 2000**; locus autem mutandus fuit propter inopinatum directoris Geldoniensis morbum; seminarium denique fiet in abbatia Maretsolana, in qua participes commodis condicionibus fruentur. De hac abbatia legatis p. 3.

Gaius Licoppe, avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles; guy.licoppe@pophost.eunet.be

Conventiculum Latinum

fiet in America, Lexintoniae in civitate Kentukia, **14-29 Iul. 2000**. Ita est, bene legistis, duas hebdomades continuas! Hoc consilio moderator professor Terentius Tunberg participibus (sint ludimagistri, professores, studentes, alii) miram occasionem praebet sermonem Latinum exercendi.

Terentius Tunberg, clatot@pop.uky.edu

Seminarium Siciliense

institutum a Georgio Di Maria litterarum classicarum professore in studiorum universitate Panormitana fiet in monte Eryce **5-13 Sept. 2000**. Inter exercitia Latina, colloquia et textuum lectiones procul dubio occasiones non deerunt eximia invisendi antiquitatis monumenta! Moderatores erunt Gaius Licoppe, Francisca Deraedt, Wolfgangus Jenniges et Ericus Palmén.

Georgius Di Maria, Via Resuttana, 352 - I-90146 Palermo; gdimaria@unipa.it

Feriae Latinae

fient in Francogallia meridionali, Tarascone in Abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, media in pulcherrima et vere tranquilla regione, **31 Iul.-7 Aug. 2000**.

Iohannes Claudius Champeau, 121 chemin des Moulins sup. - F-06510 Gattières, tel. 0(033) 4 93 29 17 02, aut Clemens Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun - F-06210 Mandelieu, tel. 0(033) 4 93 49 01 91

Seminarium Opoliense

fiet in Polonia, in pulcherrimo castello prope Opole sito, **29 Iul.-5 Aug. 2000**, moderantibus associatione L.V.P.A. et fundatione c.n. Pallas Silesia, atque thema erit de Silesia Latina.

Marius Alexa, Burgstrasse, 3 - D-59368 Werne, tel. 0(049)2389 / 45334 aut Inga Pessarra, Nordstrasse, 39 - D-59174 Kamen, tel./telecop. 0(049)2307/15617

Seminarium Campanicum

institutum ab Academia c.n. Vivarium Novum, fiet in Campania, **27 Aug.-3 Sept. 2000**.

Aloisius Miraglia, Contrada San Vito, 5 - I-83048 Montella; vivarium@geos.it

Septimana Latina Amoeneburgensis

habet hoc attractivum programma: Latine loqui - Romane coquere, atque fiet Amoeneburgi **23-29 m. Iul. 2000**.

Thomas Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a - D-35630 Ehringshausen, tel. 0(049)6449/921919

Domus Latina

Bruxellis in Domo Latina singulis Lunae diebus hora 18.30-19.30 fiunt exercitationes Latine loquendi. *Domus Latina, avenue Albert-Elisabeth, 64 - 1200 Bruxellis.*